

## DIRE NON POSSE.

### 8.29.1

*Impp. Severus et Antoninus AA. Marcello.*

Si sunt, qui emere praedia tibi obligata velint, non impediuntur scriptura testamenti, qua complexus est debitor nulla a se praedia venumdari et poenam addidit, ut fisci fierent. nec enim potuisse eum huiusmodi lege ius creditoris facere deterius manifestum est.

*D. VI k. Mai. Apro et Maximo consss.*

[a. 207]

### 8.29.2

*Imp. Gordianus A. Nepoti.*

Debitoris denuntiatio, qui creditori suo, ne sibi rem pignori obligatam distrahat, vel his qui ab eo volunt comparare denuntiat, ita demum efficax est, si universum tam sortis quam usurarum offerat debitum creditori eoque non accipiente idonea fide probationis ita ut oportet depositum ostendat.  
¶ Nam si vel modicum de sorte vel usuris in debito perseveret, distractio rei obligatae nob potest impediri, neque ea ratione emptor, tametsi sciat interpositam a debitore creditori denuntiationem, mala fide fit possessor.

*PP. III non. Aug. Gordiano A. et Aviola consss.*

[a. 239]